







*[Faint, illegible handwritten text on a large sheet of aged paper]*

10  
\*  
1. h  
ca  
2. h  
3. h  
4. h  
5. h  
6. h  
7. h  
8. h  
9. h



1676.

- \*  
1. Weyhe, Johannes Wilhelmus: Decanus fac. phil. in acad. Lips.:  
candidatis No XXIV (Weyhe, Johann With. et sequent.). Sum-  
mus in phil. honores . . . summaturus . . . iuritat.
2. Bornius, Jacobus: De conditione certi ex mutuo de in-  
rem verso ex contractu administratorum contra civi-  
tatem competente
3. Bury, Engelbertus, etc.: De perjurio
4. Carpzovius, Augustus Benedictus: De obligationibus.
5. Cramerus, Martinus Zacharius: De assassinio . . .
6. Fullerus, Zacharius: Oratio de bibliotheca aeternae  
Lipseris Paulina in solenni 19 philosophiae bacc.  
laureorum univocatione
7. Gieslerus, Fridricus: De publicis judiciis
8. Gieslerus, Fridricus: De vi publica et privata.
9. Gieslerus, Fridr.: De testium numero

1676.

10. Gieslerus, Fridr. : De feloniam.
11. Herkenius, Antonius Guentherus : De vi concludendi plura,  
ex strid. l. 2. Anal. Cap. 1. asserta. 23
12. Fflig, Caspianus Meulanus : De fide.
13. Kochler, Joh. Christoph. : De matrimonio Illustris ex 2a. 24.  
hinc status.
14. Lami, Georgius : De virtute heroica.
15. Lyserus, Polycarpus : De foederibus cum infidelibus.
16. Schillerus, Gottfriedus : De nomine et causis.
17. Schneidendorfferus, Barth. Leonhardus : De per duellione
18. Schneidendorfferus, Barth. Leonhardus : De diffidatibus  
in lues.
19. 20. Schneidendorfferus, Barth. Leonhardus : De privilegiis  
virginum. 2 Exempl. - 1676 : 1750. Hp. - jus - Lyria.
21. Schneidendorfferus, Barth. Leonhardus : De participatione  
2 Exempl. - 1676 : 1733

1676

22. Schaefferus, Barth. Leonhardus: De juris Reformationali dominica-

23. Thilo, Isaacus: De legibus, cum adjecta mantissa de constitutione curiae. Hildesheim 1733. Weisdruff, hant  
procedit a Weide variis commun, observata

24. Thomarius, Jacobus: De doctoribus scholasticis Latinis

1871  
1. Verhandlungen  
2. Verhandlungen  
3. Verhandlungen  
4. Verhandlungen  
5. Verhandlungen  
6. Verhandlungen  
7. Verhandlungen  
8. Verhandlungen  
9. Verhandlungen  
10. Verhandlungen  
11. Verhandlungen  
12. Verhandlungen  
13. Verhandlungen  
14. Verhandlungen  
15. Verhandlungen  
16. Verhandlungen  
17. Verhandlungen  
18. Verhandlungen  
19. Verhandlungen  
20. Verhandlungen  
21. Verhandlungen  
22. Verhandlungen  
23. Verhandlungen  
24. Verhandlungen  
25. Verhandlungen  
26. Verhandlungen  
27. Verhandlungen  
28. Verhandlungen  
29. Verhandlungen  
30. Verhandlungen  
31. Verhandlungen  
32. Verhandlungen  
33. Verhandlungen  
34. Verhandlungen  
35. Verhandlungen  
36. Verhandlungen  
37. Verhandlungen  
38. Verhandlungen  
39. Verhandlungen  
40. Verhandlungen  
41. Verhandlungen  
42. Verhandlungen  
43. Verhandlungen  
44. Verhandlungen  
45. Verhandlungen  
46. Verhandlungen  
47. Verhandlungen  
48. Verhandlungen  
49. Verhandlungen  
50. Verhandlungen  
51. Verhandlungen  
52. Verhandlungen  
53. Verhandlungen  
54. Verhandlungen  
55. Verhandlungen  
56. Verhandlungen  
57. Verhandlungen  
58. Verhandlungen  
59. Verhandlungen  
60. Verhandlungen  
61. Verhandlungen  
62. Verhandlungen  
63. Verhandlungen  
64. Verhandlungen  
65. Verhandlungen  
66. Verhandlungen  
67. Verhandlungen  
68. Verhandlungen  
69. Verhandlungen  
70. Verhandlungen  
71. Verhandlungen  
72. Verhandlungen  
73. Verhandlungen  
74. Verhandlungen  
75. Verhandlungen  
76. Verhandlungen  
77. Verhandlungen  
78. Verhandlungen  
79. Verhandlungen  
80. Verhandlungen  
81. Verhandlungen  
82. Verhandlungen  
83. Verhandlungen  
84. Verhandlungen  
85. Verhandlungen  
86. Verhandlungen  
87. Verhandlungen  
88. Verhandlungen  
89. Verhandlungen  
90. Verhandlungen  
91. Verhandlungen  
92. Verhandlungen  
93. Verhandlungen  
94. Verhandlungen  
95. Verhandlungen  
96. Verhandlungen  
97. Verhandlungen  
98. Verhandlungen  
99. Verhandlungen  
100. Verhandlungen



Q. D. B. V.

1676, 11

# VIM CONCLU-

DENDI PLURA,

Ex Aristot. L. II. Anal. Prior. Cap. I.

assertam,

Consensu Inclytæ Facultatis Philosophicæ in Acadē-  
mia Lipsiensi,

*P R Æ S I D E*

*VIRO PLUR. REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO*

DN. ANTONIO GUNTHERO

HESHUSIO, S.S. Theologiæ Licentiato, Organi  
Aristotelici Professore Publico, & Majoris Principum Col-

legii Collegiato,

Domino Patrono, Fautore & hucusq̄ve

Præceptore suo ut fidelissimo, ita omni pietatis ac ob-  
servantiæ cultu ætatem prosequendo,

Disputationi publicæ

assistit

JOHANNES ULRICUS Laub / Jeverâ Fri-

fius Oriental.

Philosoph. ac S. S. Theol. Studiosus.

AD DIEM XXVI. JANUARIJ, ANNO

M DC LXXVI.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Typis CHRISTOPHORI UHMANNI.

1676



G. D. B. V.

VIM CONCLU.

DENDE PERA.

Ex Art. I. II. Anal. Prior. Cap. I.

affertam.

Concilio Insuper Facultatis Philosophicae in Acad.

in Episcopi.

DR. ANTONIO GUNTHERO

HEBILIT. S. S. Theologiae Licentia. Ordin.

Antiquus & Major Praeceptor.

Domino Patrono, Fautore & Insuper

Facultate suae fidelissimo, ac omni pietate ob-

servantissimo, etiam in hoc

Disputationibus

IOHANNES ULRICUS SANGUINETUS

Philosophiae S. S. Theologiae

MDCLXXVI

M. DC. LXXVI.

H. F. G.

CHRISTOPH. LEHMANN





# DISSERTATIO DE VI PLURA CONCLUDENDI.

## PROOEMIUM.

**Q**uod revelatio etiam virtualis atque mediata rationem constituat divinam fide quidpiam credendi, seu, ut alibi aliis idem enunciatur verbis, quod revelatio virtualis & mediata etiam sufficiat ad fundandum assensum fidei divinae, clarissimis evictum dedit argumentis Venerandus Theologus D. Johannes Mufæus, Tract. de Convers. H. P. ad D. Disp. II. X. cap. III. §. 40. 71. 80. seqq. In quorum argumentorum ultimo contra fratres Walenburchios, Philosophiæ accuratioris parum, eodem teste, gnaros, luculenter admodum de *Propositionibus universalibus* ostendit, quod suas particulares non actu, formaliter & distinctè, ut decem thaleri unum, aut ut acervus tritici granum, sed tantum confuse, potentiâ & virtualiter includant. Rationes, quibus à summo Viro id fuit præstitum, brevitatis studio, quodve negotio nullo ex ipso Autore peti à quovis possint, nunc omittimus: leguntur illæ c. I. §. 97. seqq. Ad cognoscendum jam plenius modum dictum, quo in universalibus enunciatis particularia includuntur, cum plurimum omnino proficit, veram nosse ex uno Syllogismo plura concludendi rationem, de qua in II. Priorum Analyticorum principio distinctè egit Aristoteles; pretium operæ, ubi ex cathedrâ Philosophicâ disputandi periculum faciendum erat, assecuturum me putavi, si, quid de elegantissimæ hujus Potestatis Syllogisticæ indole, exercitio, fundamento, atque fructu habendum sit, diligentius

tius inquirere, ac paucis rem omnem includerem aphorismis. Non enim *vanum esse laborem* (verba B. D. Hieronymi Kromayeri sunt in Polymath. Theol. part. II. Analyticae c. 9. p. 332.) qui de Potentiis Syllogismorum suscipitur, vel ex eo liquet, quod per has potentias exploretur, quanto robore polleat Syllogismus debito modo constructus, ut licet refragetur morosus aliquis Antagonista, vi tamen unius Syllogismi subinde alios de se procreantis, & omnia κρησφύστεα obstruentis, Sententiae nostrae subscribere cogatur. Hoc itaque institutum nostrum feliciter ut cedat, faxit DEUS, omnis veri Autor & Principium!

## APHORISMUS I.

Principem inter Potentias Syllogisticas locum vis plura concludendi jure obtinet.

Expositio.

§. 1.

**Q**uemadmodum plures facultates una habet anima: plures potestates unus Magistratus: radix & arbor una plures fructus: Sic in uno Syllogismo plures sunt *δυνάμεις* seu potentiae. B. Höpfero, facultates Syllogisticae, jam factum Syllogismum consequentes, appellantur in II. Prior Anal. p. 379. Piccarto Synops. Org. pag. 503. & 523. generaliori vocabulo *πάθη* & affectiones Syllogismi dicuntur; Vires & potestates Syllogismorum Jul. Pacio Comm. Anal. in II. prior. p. 203.

§. 2. Descriptionem aliquam earundem si desideras, sunt, exponente B. Kromayero l. jam cit. nihil aliud, quam affectiones Syllogismorum, quae, quid virium methodo insit Syllogisticae, ostendunt. Uti enim petitio ejus quod in principio, falsa ratio, & alia vitia, quibus Syllogismus vel formae, vel materiae ratione inficitur, nil nisi *ἀδυναμία* ejus, infirmitatem atque morbum produunt: Sic potentiarum nomine quae veniunt, de viribus ejusdem integris illustre testimonium perhibent.

§. 3. Quo vero cuivis non tantum de Subjecto istarum facultatum, sed & principio constare possit rectius, tenendum, quod hic affectio quaedam, uti rursus B. Kromayerus ait, *superadsciscatur formae Syllogisticae propter concretionem materiae, quae alias formae, ut formae non inest. Sic Physica forma, pergit idem, non multiplicat ut forma (materiae enim ratione*

ratione

tione individua sunt multa) interim tamen forma, quia materia impressa est, individuum multiplicatio adscribitur. Id quod & Piccartus cit. I. monuit: Hoc secundo libro, inquit, afferuntur Πάθη Syllogismi, qui ei non ratione formae, sed ratione materiae conveniunt, ita tamen ut forma non otietur in ista materia.

§. 4. Huiusmodi potentiae sex ab Aristotele lib. II. Prior. Anal. parte primâ, nobis recensentur; quarum primam πλείω συλλογίζεσθαι, secundam Διὰ ψευδῶν ἀληθῆς συλλογίζεσθαι, tertiam κύκλω καὶ ἐξ ἀλλήλων δεξινοῦσθαι, quartam ἀντιθέσει, quintam εἰς τὸ ἀδύνατον ἀπάγειν, & sextam denique ἐξ ἀντικειμένων προτάσεων συλλογίζεσθαι, vocavit. Latinis interpretibus facultas prima Conclusio plurium ex uno Syllogismo nominatur; 2. Veri ex falso conclusio; 3. Conclusio circularis; 4. Syllogismorum conversio; 5. Deductio ad incommodum; & 6. Conclusio ex propositionibus oppositis.

§. 5. Ex his jam primas nostrae potestati merito dedit Aristoteles. Nam plura ista 1) vi dicti vel de Omni, vel de Nullo, eoque 2) ex necessitate, 3) in Syllogismis figurisque cunctis, si non omni, aliquo saltem modo, 4) omni in materia, 5) directè, ostensivâque viâ concluduntur. Quorum aliquid certè deficit in cæteris. Nam ex falsis ut concludatur verum, fieri equidem, ut probat secunda facultatum, potest, non tamen ex necessitate, ceu clarissimis verbis asserit & subtilissimè demonstrat Aristoteles II. Prior. IV. §. 15. & 16. Unde & I. Post XXXII. I. idem ait: ἀπαξ τῷ ἴσθι γίνεσθαι, hoc semel fit, vel, in uno exemplo alteròve, non in omnibus contingit. Quam facilè enim est ex falsis inferre verum, tam facile quoque, imò multo adhuc facilius est, ex falsis falsum concludere. Probatio dein circularis & in orbem non nisi in terminis paribus ac reciprocis, quales sunt propria subjecta, propria Πάθη, & specificæ differentiae, potest exerceri: Ἐν μόνοις τοῖς ἀντιθέσει, ut II. Prior. V. 6: seu in solis iis, ὅσα ἀλλήλοις ἐπεταί, quæ sese mutuo consequuntur, & quæ sunt ἀντικατηγορούμενα, ut I. Post. III. ult. loquitur Philosophus. Cæteras autem, 4. 5. & 6. nec immediatè vi regulæ de Omni & de Nullo, nec ostensivâ probandi viâ exerceri, est manifestum. Quam verò ostensiva concludendi ratio præstet alteri, ad impossibile quæ deducit, id egregiè Aristoteles I. Post XXVI. docet. Conf. quoque Barth: Viott: lib. 4. de Demonstr. c. 5. p. 198. nec non Piccart. S. O. p. 632. seqq. & Matth. Flac. Op. Log. lib. 4. Apodictices c. 10. p. 790. Ut igitur in Rhetorica, censente Vossio. I. 4 Part. O-rat. c. 3. §. ult. & c. 4. §. 12. ex tropis, seu splendorem, seu usum spe-



res, facile princeps est Metaphora, sic è Potentiis Syllogisticis in Logica.  
facile princeps plura concludendi vis est.

## APHORISMUS II.

Concludere plura ex uno Syllogismo est ex Syllogismi actu unius sive conclusione, sive propositionibus, bona consequentia plures inferre conclusiones, è quibus una principalis est, reliquæ sunt *πορίσματα*.

Ἐκθεσις.

§. 1.

Exhibet tibi definitionem hanc B. Höpfneri Commentarius in II. Prior. Anal. p. 380. neque causa erat nobis, cur aliqua eandem parte mutaremus. Nomen igitur, quo definita res exprimitur, ex complexorum, eoque ex τῶν λόγων potius est, quam ex τῶν ὀνομάτων numero. Phrasis enim græca, πλείω συλλογίζεσθαι, duo vocabula continet, quorum unum, *actum* notat concludendi, alterum actus illius *objectum*.

§. 2. Et ex Logicæ quidem artis usu τὸ συλλογίζεσθαι significat justam formam, legitima consequentia, & ex necessitate aliquid ex aliquo inferre ac colligere, ad similem forte modum, quo ex pluribus numeris certam summam facit Arithmeticus. Formæ ergo Syllogisticæ bonitatem ad exercendam potestatem hanc requiri ab Aristotele, vel solo hoc docemur nomine. Peccante enim formam concludere nihil minus est, quam συλλογίζεσθαι: & Paralogismus à Syllogismo non minori distat intervallo, quam Sophisticus Elenchus ab Elencho, vel fucatus color à verâ pulchritudine.

§. 3. Non desunt eadem verba, quæ similem vim obtinent in textu Aristotelis, inter quæ non postrema sunt συμπεραίνειν & δεικνύειν; quemadmodum & Latinis sæpe Scriptoribus Concludere, colligere, inferre, probare & ostendere promiscuè usurpantur; haberi tamen illa pro Synonymis non possunt. Nam inter συλλογίζεσθαι & συμπεραίνειν hoc intercedit discriminis, quod prius actum ratiocinandi notet integrum & completum; posterius vero, vel ipsa vocis origine sic svadente, eum duntaxat actum, quo τὰ πέρατα seu extrema, majus atque minus, uniuntur; quod non nisi in conclusione solet fieri, quæ ideò & συμπερασμα fuit nominata. Δεικνύειν autem ad materiæ, quam ad formæ, vim significandam aptius videtur.

§. 4.

§. 4. πλείω nihil aliud significat, quam *plura*, in quibus scilicet inferendis tota hæc Facultas occupatur. Est enim πλείων comparativus gradus à positivo πολὺς, multus, & accusandi casum in multitudinis numero neutrius generis format πλείονα, eliso autem ὡς πλείονα, ex quo Græcis usitata Crasis fecit πλείω. Enunciatorum ergò seu συμπερασμάτων (hujus quippe generis substantivum subaudiendum est) multitudo hæc voce denotatur, eaque non tam absoluta, quam relativa. Docet enim hæc facultas concludere, si non multa semper absolutè aut innumera, plura tamen uno isto, de quo conclusio per primum illata Syllogismo loquitur.

§. 5. Pro Synonymis ergo phrasibus si quis in præfenti negotio habere velit, *plura concludere, plura Syllogisticè colligere & inferre, vim plura concludendi exercere, conclusiones multiplicare, conclusionum augere numerum*, ille nos sibi minimè sentiet adverstari.

§. 6. Reliqua verba, quæ Höpfneriana definitio definito adhuc addidit, appellatio Græca communiter omittit, imò cuius subintelligenda relinquit, cujus consuetudinem & nostræ disputationis titulus est imitatus. Trito enim hujus Facultatis nomine audito, haud difficulter intelligit, quilibet, hoc agi loco nõ de vi concludendi plura ex Syllogismis pluribus, alia ex aliis (peculiarem namq; doctrinam & demonstrationem ista non requirit,) sed de ea, quæ ex uno eodemque exstructo Syllogismo inferre plura docet. Nec tamen, disertè illa qui adjiciunt, à nobis possunt reprehendi, quòd & Syllogismi, ex quo inferre plura fas est, unitatem apertè à Philosopho sciamus requisitam, cujus verba dabimus §. 1. ἐκείσ. Aph. IV.

§. 7. Definiens oratio, quæ in definito latebant singula, proponit dilucidius, & tribus in universum partibus absolvitur, quarum prima EX QVIBUS, secunda QVOMODO, & tertia QUID inferendum sit, distinctè explicat. Nimirum, ut primam partem attingamus paucis, potestatem hanc in actum deducere volenti inferendum *ex Syllogismi actu unius sive conclusionis, sive propositionibus*; maximè tamen è propositionum prima, quæ major est. In hæc enim longe major vis est atque fecunditas ad hunc effectum producendum, quam in secunda. Unde & minoris propositionis rationem ferè nullam in hoc argumento habuit Aristoteles.

§. 8. Tametsi verò *ex uno* inferri cuncta statuamus; fallitur tamen, uno id omne fieri Syllogismo, seu *per unum*, si quis opinetur, cum fiat *verà pluribus numeroque distinctis & diversis, præsertim si subsumptionis*

nis ope multiplicatio instituat. Tot enim revera Syllogismi sunt, quot conclusiones, non malè inquit Höpfnerus p. 380. conf. quoque Aristotelem cit. cap. I. 8. Ubi vi ejusdem quidem medii, non tamen PER antecedentem Syllogismum (ἀλλ' ὁ ἀπὸ τὸν προγεγενημένον συλλογισμὸν) concludi plura asserit. Porro quamvis in minus perfectis argumentandi formis etiam sint, quibus negari eadem Facultas nequeat; nam ex Inductione una, unoque Exemplo doceri plura quoque sine dubio possunt; de harum tamen similibusque argumentationum viribus sermonem nobis nunc non esse, vel ipsa probat Syllogismi jam facta mentio.

§. 9. Modus plura concludendi generalis, quem secunda definitionis pars complectitur, consequentiae & formae leges violare vetat, ac jubet hanc usurum potestate bona consequentia inferre singula, propterea, quod hanc laesam aut corruptam effici nihil quicquam dignum fide possit.

§. 10. Esse vero consequentiarum non unum genus, vel inde perspicitur, quod (1.) in Conversione propositionum cernatur alia, alia vero in Syllogismo: alia rursus (2.) ostensiva audiat, alia ex hypothese. De priori distinctione vid. Hier. Reckleb. Resol. Organ. Arist. p. 97. Posterior ex Aristotele desumitur, cujus verba eadem de re I. Prior. XXIII. 2. haec sunt: *Necesse est, omnem Demonstrationem & omnem Syllogismum ostendere vel quidpiam in esse, vel non inesse: idque aut universaliter, aut in parte; praeterea, ἢ δεικτικῶς, ἢ ἐξ ὑποθέσεως, aut ostensivè, aut ex hypothese: cuius autem, qui fit ex hypothese, pars est, qui fit per impossibile.*

§. 11. In quo loco quoniam ostensiva inferendi ratio opponitur ei, quae vicissim habet ex hypothese, uno verbo, *Hypothetica*, ostensivam vicissim ad C. XXVI. (XXII.) I. Poster. non male vocavit *Categoricam* Piccartus autem ad eundem locum p. 632. *Directam* unam, *alteram Indirectam* dicere maluit; quamquam idem p. 523. Syllogismo ducenti ad incommodum opponat simili quoque sensu *Categoricum*. Consequentiae igitur bonitatem ubi definitionis dicta pars requirit, dubium non est, quin de nobiliori consequentiae genere loquatur, quod est primam divisione absque dubio Consequentia Argumentativa est; ex altera, *Directa*, *Ostensiva* seu *Categorica*.

§. 12. Quamquam nec dissimulandum illud est, quod Consequentiae non-argumentativae conceptus omni hinc removeri modo vix possit ideo, quod per Conversionem inferri etiam plura posse contendamus. In conversionis autem negotio argumentativa consequentia locum non reperit. *Indirectam* verò ex Philosophi mente huc pertinere ut negemus, vel ideo ad-  
duci-

ducimur, quod vim ad impossibile ducendi à presenti nostra facultate planè is sejunxerit, nec ullam consequentiam ad τὸ ἀδύνατον ducentis mentionem in modis specialibus nostræ exercendæ potestatis fecerit. Generalis itaque modus, quo numerum augere conclusorum licet, sic erit perspicuus: de specialibus aphorismi agent sequentes.

§. 13. Pars definitionis ultima, quid hæc inferre potestate liceat, edisserit; Conclusiones nempe plures, è quibus una principalis sit, reliquæ *περίσματα*. Plures hic intelliguntur non quoad sonum modo, sed etiam quoad sensum. Per æquipollentiam itaque signorum Logicorum, aut solâ dicendi ratione aliis modis commutatâ, conclusionem quandam variare, nullatenus est hanc facultatem exercere.

§. 14. Dicuntur porrò Conclusiones hæc eam inter se habere differentiam, quod ex illis una principalis sit; reliquæ *περίσματα*. Postremæ vocis vim si requiras, *notat illa*, autore B. Höpfnero p. 381. *acquistum*, unde Paulus 1. Tim. 6. *περισμὸς μέγας ἢ σοφεία*, magnum lucrum pietas: & supra S. 2. l. 1. (actum) fuit *τῆς εὐπορίας περιλάσεων*, de proveni- tu quasi & abundantia propositionum. Ipsa autem vox (pergit) ex Scholis Geometrarum ad Logicam est translata, qui theoremata aliquod ex Syllogismo necessario sequens inferentes, illud quasi lucrari dicuntur, quod non ex professo instituta sit theorematis hujus posterioris demonstratio, sed tamen ex demonstratione recte sequatur.

§. 15. Scriptoribus Latinis dicitur *Confectarium*, quod suâ quasi sponte, ut evidens & confessum ex dictis sequatur. Nominatur & *Corollarium*; quam vocem Lipsius in Lib. 6. Senecæ de beneficiis c. 17. p. 146. per auctarium *ἐπιπέλεγον* exponit, Varronis scilicet Svetonii, nec non Ciceronis autoritate fultus. Sed rectè Höpfnerus: *Ita* (in generali illo sensu) *corollarii vocabulum latius est, quod speciatim postea ad porissima significandum transfertur, quod velut auctarium est principalis conclusionis.* Scaliger in Theophrast. de plantis aliquanto pressius id descripsit, inquit, corollarium esse sententiam, quæ consequatur superiorem sententiam, non secus ac flosculus excipit flosculum in corolla. Nec malè Höpfnerus ibidem: *περίσμα ἐστὶν conclusio, quæ conclusioni jam demonstratæ appendicis loco adjicitur.*

§. 16. Asterta jam à nobis conclusionum differentia atque dependentia in modis quidem specialibus cunctis, quibus exerceri vis nostra potest, obtinet, illum modo excipias, quo sub eodem medio subsumitur. Hæc enim ratione quæ de novo acquiruntur conclusiones, *περίσματα* dici re-

B

spectu



respectu primi quidem possunt Syllogismi; non tamen respectu primæ conclusionis; ut pote quæ ad cæterarum notitiam generandam de suo nihil fere contulit. De indole igitur primæ hujus Facultatis quid habendum sit, ex definitionis evolutæ partibus constabit.

### APHORISMUS III.

Exercere vim plura concludendi licet I. per illatæ conclusionis conversionem.

Ἐκθεσις

§. 1.

Nihil hoc loco nobis aliud est Conversio, quàm transpositio prædicati in locum subjecti, & Subjecti in locum prædicati salvâ veritate facta. Ubi notanda statim egregia Conversionis Virtus est, quod scilicet instituta legitimè veritatem, in propositione convertenda repertam, non solum non lædat, sed etiam integrè in alteram, quæ Convertens dicitur, propaget quasi & transfundat. Quemadmodum enim in Propositione exponibili verum non nisi per verum exponitur: ita nec hoc loco verum nisi per verum convertitur. Secus & absque hoc veritatis consensu si foret, non Conversio, sed everfio, vel subversio propositionis esset futura. Nec aliam Conversionis virtutem intendit Höpfnerus, quando servari in eadem formalem Consequentiam oportere, statuit. Vid. in L. I. Anal Prior. p. 61.

§. 2. Verum Conversionis fundamentum ostendere nobis Aristoteles videtur voluisse I. Prior. Anal. I, 10, Ubi de iis, quæ ad demonstrandam imperfecti Syllogismi consequentiam requiruntur, ait, quod sint ἀναγκαῖα διὰ τῶν ὑποκειμένων ὀρων, hoc est, *necessaria propter suppositos terminos*. Inter illa enim, quæ negotio jam dicto inserviunt, quoniam Conversioni propositionum præcipuus debetur locus; hæc siquidem vel sola figuram mutat & ex imperfecto perfectum Syllogismum facit; dubitari profectò non potest, quin è Philosopho adducta verba de Conversione de quæ propositionibus per Conversionem enunciatis præcipue exaudienda sint. Nam & seq. statim cap. §. 2. speciatim idem de propositionis Universalis Negativæ Conversione asserit, quod eam τοῖς ὀροις ἀντιπέφειν, i.e. reciprocatis terminis converti, sit necesse.

§. 3. Terminorum ergò, maximè prædicati Suppositio est, quæ genuinum Conversioni fundamentum præbet. Quoniam enim vox, ut in exemplo rem contemplemur, *Angelus* in hac Enunciatione, *Nullus homo Angelus est*, distributive sic capitur, ut sensus sit, *Nullus homo Angelus, vel*

vel Angelorum ullus est, errare minimè potest, qui à postremo incipiendo infert, nec ullus ergo Angelus homo est, & sic in aliis. Rursus quoniam vox Spiritus in ista, *Omnis Angelus est Spiritus*, non distributivè, sed confuse, ut amant loqui, sumitur hoc sensu, *Omnis Angelus est Spiritus aliquis*, veritati damnum nequaquam dabit, qui illa transponendo colligit, *Aliquis ergo Spiritus est Angelus*: Dabit autem omninò, inquam, *Omnis Spiritus est Angelus*. Ex prædicati ergò, ut vides, suppositione rectissimè causa redditur, cur propositio Universalis Negativa, quantitate servatâ; Universalis vero Affirmativa, eadem non servatâ, sed imminutâ, convertenda veniat.

§. 4. Firmatur non parum hoc convertendi fundamentum Canone, quem Jac. Martini L. 4. Instit. Log. c. 2. p. 363. de conversione hunc ad modum posuit: *Non mutetur genus suppositionis; nec fiat collectio à non distributo ad distributum, hoc est, nullus terminus distribuitur in Convertente, qui non sit distributus in Conversâ*. Cui ipsi dubio procul robur dat vicissim alia Conversionis Lex, quæ ibid. p. præced. sic expressa atque confirmata legitur: *Oportet utramque propositionem (conversam & convertentem) iisdem constare terminis. Ratio: Aliàs enim non fieret eorundem terminorum conversio, sed aliorum suppositio*.

§. 5. Accuratis verò limitibus à primariâ Conversione secundariam discernere nos oportet, si quæ diximus tueri commodè velim. Usus hisce differentiis hâc in re B. Höpfnerus est in I. Prior Anal. II. p. 62. & 83. *Primaria* suo ambitu conversionem simplicem & per accidens vulgò dictam, vel, ut cum Philosopho loquamur, universalem & particularem complectitur, & ad hanc potissimum, quæ à nobis dicta hætenus fuere, pertinent. In conversione enim simplici qualitas & quantitas propositionis retinetur: in altera qualitas retinetur quidem, sed quantitas minuitur. *Secundaria* dici vulgò *conversio κατὰ ἀντίθεσιν*, seu per contrapositionem solet, ideo citra dubium, quod in eâ prædicati subjectiqve loco ponatur utriusque contradictio. Nec aliam ob rationem à Lovaniensibus Comment. in I. Prior. Anal. Aristotelis fol. 156. *Conversio in oppositam qualitatem* dicitur.

§. 6. Negare eqvidem non possumus, Secundariæ huic locum, inter species Conversionis nullum ab Aristotele in Analyticis fuisse datum; cuius rei causam Höpfnerus reddit locis §. præcedenti allegatis, nec non p. 388. Non desunt tamen loca alia clarissima, quibus hanc



convertendi rationem idem Aristoteles & agnovit & approbavit. Nam II. Topic. VIII. 3. eleganti non modo nomine ἡ κτ' τὴν ἀντίφασιν ἀνο-  
λῆθης ἀνάπαλιμ γινομένη ab eo salutatur, sed perspicuis etiam exem-  
plis qualia sunt, si homo est animal, quod non est animal non est homo; &  
si honestum est jucundum, etiam non jucundum non est honestum, illu-  
stratur. Imò II. Prior. Analyt. IV. 16. quod immoti eam fundamen-  
ti loco sustinet, occurrit, estque axioma hujusmodi: Cum duo ita inter  
se affecta sunt, ut si unum sit, necessario sit alterum, nisi hoc sit, neque illud  
erit. Quod ipsum nec obscurum Jacobo Martini fuit, qui Instit. Log.  
p. 368. Fundamentum aliàs, ait, hujus conversionis est: Sublato conse-  
quente, tollitur antecedens. Plures pro eadem rationes qui desiderat,  
Höpfner, citat. II. consulat.

§. 7. In quibus jam propositionibus Conversio quælibet sortiatur  
suum locum, id ex dictis quadantenus dispalescit, & notius cæteroquin  
est, quam ut repetitione ulla nunc indigeat. Simpliciter enim converti  
Propositionem Universalem Negantem & Particularem Affirmantem;  
Per Accidens vero Universalem Affirmantem; Per Contrapositionem  
denique Universalem Affirmantem rursus ac Particularem negantem,  
& illi sciunt, qui prima Logicæ degustarunt elementa. Illud modò hoc  
loco proderit nobis observasse, quod nullum propositionis, nullum  
conclusionis genus sit, in quo non aliqua convertendi ratio suum in-  
veniat locum. Quamvis enim Particularem Negantem disertè excepe-  
rit Aristoteles, convertique eam posse rotundè negaverit, id tamen,  
non nisi de primariâ & immediatâ conversione eum statuisse, liquidò  
è dictis constat. Locum igitur, quem primariæ conversioni Particula-  
ris illa propositio negat, eundem secundariæ, & quasi mediatae ut con-  
cedat, nihil impedit. Utut enim ex hoc exemplo, quoddam metal-  
lum non est aurum, minimè inferre fas sit, Ergo quoddam aurum non  
est metallum; fas tamen erit inde hoc elicere, Ergo aliquid quod non  
est aurum, est metallum.

§. 8. Hæc cum ita sint, nullus dabitur Syllogismus, cujuscunque  
etiam figuræ, quantitatis, aut qualitatis ille sit, ex quo non, justæ for-  
malisque Conversionis ope, inferre plura liceat, quam unum, &  
quod primo concludendi actu illatum fuit. Quoniam enim,  
propositio convertens convertendæ suæ indivulso semper & sororio ne-  
xu copulatur, non errabit, ex conclusa & ostensa istarum unâ, qui sta-  
tim infert proque confirmata & ostensa habet reliquam,

§. 9. Ex conclusione itaque hujus, exemplum fortè si quis desiderat, Syllogismi,

Quicquid materiâ & formâ constat, corpus est;

Omnis planta materiâ & formâ constat;

Ergo omnis planta corpus est;

conversionis ope rectè inferemus & hæc porismata, Ergo quoddam corpus planta est, & quicquid corpus non est, nec planta est. Quemadmodum & ex conclusione illius,

Omnis Rex mortalis est;

Omnis Rex persona est;

Ergo quaedam persona mortalis est,

citra controversiam sequitur, Ergo quoddam mortale persona est. Nec malè ex conclusione hujus argumenti,

Nullus spiritus est corpus;

Omnis Angelus est spiritus;

Ergo nullus Angelus est corpus,

efficiet hoc porisma, Ergo nullum corpus est Angelus. Quin & ex hujusmodi,

Aer nullus gravis est;

Aer omnis Elementum est

Ergo quoddam Elementum grave non est;

citra periculum veritatis inferre licet, Ergo quoddam non grave Elementum est. Plura tibi, sis, exempla facillè Höpfnerus dabit p. 385. seqq. De Conversionis itaque utilitate in multiplicandis cujusvis Syllogismi conclusionibus res est quàm certissima.

§. 10. Corollarii præstare nobis vicem hoc loco potest, quod ex hæc Philosophi doctrinâ in Comment. suo Analytico observavit Julius Paccius p. m. 204: Hinc habemus, ait, confirmationem sententiæ Aristotelicæ, quòd tres tantum sunt figurae Syllogismorum, & confutationem quartæ figuræ à Galeno perperam introductæ, nec ab Averroë confutatæ. Nam Averroës fatetur dari quartam figuram, sed inquit eam fuisse ab Aristotele prætermittam, eò, quod non est naturalis, quia in conclusione minus extremum dicitur de majori, id est, quia conclusio est conversa & indirecta, cum in conclusione directâ majus extremum attribuitur minori. Atqui Aristoteles sæpius convertit propositiones & conclusiones, & exposuit etiam Syllogismos indirectos, quos Averroës ait esse non naturales

15. Ex terminorum autem, præsertim mediæ termini positione demonstravit, nullo modo esse plures figuras, quam tres. Huic sententiæ consentanea est doctrina hujus capituli, Nam sive conclusionem directam colligas, sive conversam, cum eadem sint propositiones, Aristoteles eundem Syllogismum appellat, adeo ut idem Syllogismus dicatur plures conclusiones inferre: propterea, quod Syllogismus nihil aliud est, quam duæ propositiones rectè connexæ. Hoc non animadvertit Galenus, qui eundem Syllogismum refert ad primam figuram, si conclusio sit directæ; & ad quartam, si conclusio sit conversæ. Exempli gratiâ, hic est Syllogismus in primâ figurâ, id est, in Barbara, Omne rationale est animal, Omnis homo est rationalis, Ergo omnis homo est animal. Convertite Conclusionem, & transpone propositiones: efficiet quartam Galeni figuram, quæ nihilominus nobis est prima: nempe, Omnis homo est rationalis, Omne rationale est animal, Ergo aliquod animal est homo.

#### APHORISMUS IV.

Concludere uno plura licet II. per eorum omnium, quæ sub eodem medio continentur, subsumtionem.

EX THEOPH.

§. I.

Ita docemur ab Aristotele §. 3. sæpius citati capituli; ubi, si, quæ huc præcisè faciunt, verba spectes, sic ille loquitur: *Quæcumque sub medio sunt, eorum omnium erit idem Syllogismus, si illa in medio ponantur.* Nimirum medium syllogisticum uni sub sese contentorum non magis favet, quàm alteri; sed æquè militat pro omnibus, & æqualem virtutem ac efficaciam cunctis suis ostendit. Quâ in parte boni fortè judicis indolem illud imitari putes, justitiam nulli civium denegantis, sed omnibus eum implorantibus æqualiter dispensantis. Nec est, ut cum nonnullis sententiam hanc à Philosopho in postremâ parte capituli correctam fuisse, præsumamus. Tantum enim abest, ut dicto eam loco is mutârit, vel correxerit, ut ex hoc ipso asserto alia ibidem confirmatum iverit. Id quod ex infra dicendis clarius cognoscetur.

§. 2. Caterùm non ineptum nomen est, quod huic multiplicandarum conclusionum rationi impositum fuisse quondam, Lovanienses anno-

annotârunt in suis ad h. l. Commentariis f. m. 206. Solet, inquiunt, hic (quem tertium illi numerant) plura concludendi modus appellari per subsumtionem ad latus, eo, quod ipse plures minores extremitates quasi collaterales sunt respectu medii distributi. Liceat nobis aliquo rem exemplo declarare. Si quis ergo conclusionem aliquam ostensurus, hoc fortè utatur universalis, *Omnis filius Jacobi Patriarchæ mortuus est in Ægypto*; vel etiam isto, *Nullus filius Jacobi Patriarchæ ex Ægypto rediit in terram sanctam*; intelligis, puto, statim, vel solis signis universalibus expensis, subsumtionem non de *Josepho* solo, sed pari planè jure de *Josephi* quoque fratribus, *Juda*, *Simeone*, cæterisque *Jacobi* filiis, excepto prorsus nemine, valituram; eaque ratione per subsumtionem hanc ad latus plura firmiter conclusum iri.

§. 3. Fundamentum multiplicationis hujus nullum est aliud, quàm *Dictum*, uti vocatur, *de Omni*, & *de Nullo*. Paucissimis equidem, verum & nervosissimis verbis utrumque exposuit nobis Aristoteles I. Prior. I. in fine; *Dicimus*, inquit, *Omni attribui* ( $\tau\acute{o}\ \kappa\alpha\lambda\acute{\alpha}\ \pi\alpha\upsilon\tau\acute{o}\varsigma\ \kappa\alpha\tau\eta\ \gamma\omicron\upsilon\epsilon\iota\delta\alpha\iota$ ) quando nihil subjecti accipere licet, de quo alterum non dicatur; ac *Nulli*, eodem modo. Quæ postrema verba hoc volunt: *Dicimus Nulli attribui* ( $\tau\acute{o}\ \kappa\alpha\lambda\acute{\alpha}\ \upsilon\pi\epsilon\rho\delta\acute{o}\varsigma\ \kappa\alpha\lambda\eta\gamma\omicron\upsilon\epsilon\iota\delta\alpha\iota$ ) quando nihil subjecti accipere licet, à quo alterum non removeatur.

§. 4. Vim harum descriptionum eleganter nobis Lovanienses fol. 158. explicant; *Ex dictis*, ajunt, *descriptionibus* ( $\tau\acute{\omega}\ \nu\omicron$ ) *prædicari de Omni*, & *prædicari de Nullo*, colliguntur hæc due maxime: *Quicquid prædicatur de subjecto universaliter sumto; prædicatur de quolibet subsumto sub illo*: *Quicquid removeatur à subjecto universaliter sumto, removeatur à quolibet sub ipso subsumto*. Nec malè eadem dicta à Francone Burgersdicio l. 2. Inst. Logic. c. 8. theor. 2. & 3. enunciantur in hunc sensum: *Quicquid de aliquo universaliter dicitur universaliter, id etiam dicitur de omnibus, quæ sub isto universaliter continentur*. *Quicquid de aliquo universaliter negatur universaliter, id etiam negatur de omnibus iis, quæ sub isto universaliter continentur*. Qui & ipse regulam mox utramque paraphrasticè proponit & Syllogismis sic accommodat: *Quodcumque prædicatum universaliter affirmatur aut negatur de aliquo medio, id etiam de subjecto affirmatur aut negatur, quod sub illo medio continetur*. Ubi tres, addit, sunt distinctæ partes, quarum prima representat majorem, secunda conclusionem, tertia minorem.

§. 5. Præclarè admodum, nec præter meritum, de hisce concludendi principiis B. Höpfnerus sensit; *Nullus Syllogismus*, ait, p. 43.  
Arti-



Artificialis est legitimus, qui non cum hisce principiis, vel immediate, vel mediante reductione congruit, & per convenientiam discursus naturalis est, & probatur esse bonus. Hec enim principia sunt fontes, ex quibus universa ratiocinandi methodus ac firmitas est derivata. Et p. seq. de iisdem rursus: Sunt itaque principia divinitus insita mentibus humanis, & inde monstrabilia, ac non minore habent evidentiam, quam axiomata: Quodlibet est, aut non est. Totum est majus quolibet sua parte. Proinde haec principia naturalis discursus Aristoteles statim in initio ponit, ut ostendat, se ex natura principis firmissimis deducere doctrinam de Syllogismis artificialibus, & in iis necessitas consequentiae certissima omnibus appareat. Nec non p. 46. luculenter idem: Illa principia canonica, inquit, non sunt Enunciationes, sed integri Syllogismi naturales, & radices atque *ῥιζὴν* Syllogismorum artificialium, vel mediate & ut Averroës loquitur, potentia, vel immediate & actu, haec fundamenta naturalia complectentium.

§. 6. A quâ nos sententiâ minimè dimovemur (1) opinione quorundam diversum sentientium, quos vide, sis, apud B. Slevogt. Disput. de principio Syllogizandi in divinis (quæ est D. A. 13) th. 3 p. 254 seqq. multo minus (2) eò, quod Inductione confirmari fortè prima illa possint. Nam quemadmodum prima (docente sic Aristotele II. Post. XIX 7.) inductione nota nobis fiunt: Ita & inductione illustrari eadem sic cuius possunt, ut valori ipsorum & virtuti nihil decedat quicquam. Unde idem hujuscemodi Syllogismū (inductionem puta, vel ex inductione formatū) primæ & medio, carentis propositionis (*τῆς πρώτης ἢ αὐτῆς προτάσεως*) esse quasi proprium, verbis minimè obscuris & asserit & probat II. Prior. XXIII. 5. & 6. Ut ut ergò inductione declarari hæc nostra quoque possint, non tamen indemonstrabilia & principia omnium in hoc genere prima idcirco esse desinunt. Nam *Inducens*, ut & hoc addamus, licet aliquid declarat, non tamen demonstrat, dicente Philosopho II. Post. V. 5. Quid? Ratio per inductionem probandi principium si evertit, in Philosophiâ jam universa principium relinquetur prorsus nullum. Nullum quippe primum est, quod inductione alicui declarari non possit.

§. 7. Nec (3) moveri isto magnopere possumus, quod in rebus singularibus dicta illa parum procedere videantur. Ut ut enim disertè illa de singularibus non loquantur; in singularibus tamen minimè fallunt vel decipiunt. Imo singularia ad modum universalium & cum universalitatis notis enunciari, novum non est in doctrinâ Syllogisticâ. Non tan-

tantum enim rectè & ex vero dicitur, *Homerus autor est Iliados*, sed etiam, *Quicumque est Homerus, autor est Iliados*: neque rectè solum, *Aristoteles non est Plato*, sed etiam, *Quicumque est Aristoteles, is Plato non est*. Ex quo intelligitur satis, falli non parum eos, qui dicta illa ad universalia sic adstringunt, ut nullo ad singularia trahi applicarive modo possent.

§. 8. Quo loco nec illud prætereundum videbatur nobis, quod usus alterius principii, quod nostris primis ab aliis solet anteponi, & ita habet, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, in doctrinâ Syllogisticâ nimis sit obcurus & vagus, imo fallax admodum, dubius, & incertus. Ex quo factum credas fuisse, ut hoc ipsum ab Aristotele inter principia Sophistarum numeraretur, lib. de Soph. Elench. VI. 8. ubi sic Philosophus: *Quæ uni & eidem sunt eadem, etiam inter se eadem esse, postulamus: unde oritur Elenchus, qui ex consequente appellatur*. Nam huiusmodi Stropham vel similem, *Plato est Atheniensis; Epicurus est Atheniensis; Ergo Epicurus est Plato*, eodem illo principio tueri sine dubio volet Sophista. Unde rursus Philosophus postulatum illud omninò verum (*ἰσχυρὸς ἀληθὲς*) esse, disertis ibidem verbis jure negat. Lateat, quòd isto principio discerni modus utilis ab inutili non possit; quem tamen usum Dicta nostra felicissimè præstiterunt Aristoteli. vid. I. Prior. IV.

§. 9. Sed è diverticulo redeamus in viam & ad scopum nostrum, accedamus propius. Ex dictis ergo de Omni & de Nullo, immotis illis invictisque ceu hætenus visum, concludendi principii, demonstrari potestas nostra rectissimè eâ potest parte, quæ per subsumtionem sub eodem medio inferre plura docet. Dicta enim illa hujus rei causam proximam tam evidentè ostendunt, ut dubitem, an evidentius ostendi possit quicquam. Nimirum, Quicquid prædicatur de subjecto universaliter sumto, illud prædicari etiam posse, primum ait, non de uno duntaxat aliquo, sed de **QVOLIBET** subsumto sub illo; vel de **OMNIBUS**, quæ sub illo continentur; imo sic juxta Philosophum, ut **NIHIL** subjecti accipere liceat, de quo alterum non dicatur. In Dictorum altero similis imò eadem plane ratio obtinet. Quo igitur jure unum subsumitur, de quo confecti Syllogismi conclusio prima loquitur, eodem jure & reliqua singula, sub eodem medio adhuc contenta subsumi posse, manifestum est. Quod si singula, certè & singulorum istorum aliqua: quorum illud ut in Syllogismis universalibus, ita hoc in particularibus fieri, præsentis.

C

§. 10.



§. 10. Potestatis hujus exercendæ materiam capiamus ex dicto Aristotelis, quod IX. Nicom. c. VII. legitur, ex Platonis l. I. de Rep. ut videtur, depromptum: *Unusquisque artifex opus proprium magis amat, quam ab opere amaretur, si animatum fieret*; Cujus causa dubio procul, quod addere *ὡς ἐν τῷ ἀπόδω* liceat, nulla alia est, quam quod opus artificem suum, ut proverbium habet, commendare soleat. Sic ergo argumentemur:

*Omnis artifex amat suum opus;*

*Omnis Poeta est artifex,*

*Ergo omnis Poeta amat suum opus.*

Dicto jam augere modo Conclusionum numerum si placet, subsumi universaliter invariato sub medio & *Rhetor*, & *Musicus*, & *Pictor*, & *Mechanicus*, & *Architectus*, & quis non ex illo genere? æquali juro potest. Quo facto nova subinde ac à priore diversa conclusio vel sponte suâ enascetur. Nec de speciebus tantum illis res procedet, sed de individuis Artificum quoque singulis; imò in particularibus inferre modis si volueris, de sexcentis aliis; quorum forte ex numero, erunt, *homo, civis, persona, senex, Juvenis, Germanus, Indus, Gallus &c.* Nam, *aliquis homo est artifex; Ergo & aliquis homo amat suum opus*; & sic in cunctis reliquis.

§. 11. Rursus mutatâ majoris qualitate si inferamus:

*Nullus artifex odit suum opus;*

*Omnis Poeta est artifex,*

*Ergo Nullus Poeta odit suum opus;*

Res eodem perficietur ordine & felicitate de singulis, quæ modo dedimus, sed vi & virtute Dicti contrarii, de Nullo; idque cum in modo universali adhuc reliquo, tum in huic subordinato particulari. Quod si vero in probabilibus, è quorum censu exemplum jam produximus, res procedit, quanto magis procedet in necessariis, ubi cuncta firmiori longè nexu copulata esse scimus? In prima itaque figurarum Syllogismus extruetur nullus, nec universalis, nec particularis, nec affirmans, nec negans, è quo non plura, mediante subsumptione hac, colligi tutò queant.

§. 12. An autem in reliquarum quoque figurarum Syllogismis idem verum sit? si quæras, Piccarti sententiæ neganti (vid. p. 505. seq. S. O.) imo & Pacii, B. Höpfneri canonem, p. 393. propositum omnino præfero: *In secunda & tertia figurâ subsumptione sub medio concluditur non immediatè, sed facta prius reductione ad figuram primam.* Imò affe-

asserere non dubitamus, quod vi & efficacia unius ejusdemque mediū, ex quolibet etiam harum figurarum Syllogismo inferri plura sic possint, ut figura non mutetur. Neque dubitavit eā de re Aristoteles, ut ex §. 7. 8. & præcipue ex 9. dicti jam sæpius capitis intelligitur, ubi: *Similis est, inquit, aliarum figurarum ratio, quod enim est sub conclusione (particulari) non concludetur; alterum verò, concludetur, non tamen per eum (primum) Syllogismum.*

§. 13. Veniamus enim in rem præsentem, & in figurarum mediā sic concludamus:

*Virtus omnis consistit in mediocritate;  
Nulla iracundia consistit in mediocritate;  
Ergo nulla iracundia est virtus.*

Ex quo Syllogismo conclusiones citra dubium, vi ejusdem mediū, prohibent statim plures, si majore servatā integra, *iracundie loco ambitio, vel superbia, vel ingluviēs, vel audacia, vel aliud genus vitii quodcunq;* imo si *quidam animi habitus, vel quoddam accidens, &c. in minore, qualitate ejus non mutatā, substituatur, eoque facto concludatur, quod forma postulat.* Hunc verò multiplicandi modum priori, de quo aphorismus loquitur, planè æquipollere, docebit facillima propositi exempli in figuram primam resolutio. Majore enim sic conceptā, *Quicquid non consistit in mediocritate, non est virtus,* & reliquis sine ullā mutatione eisdem junctis, illata singula per formalem subsumtionem sub eodem medio in figurā concludi primā, clarissimè deprehendes.

§. 14. Quod si autem sic inferre placeat ex medio præcedenti contrario,

*Nulla virtus consistit in extremitate;  
Omnis iracundia consistit in extremitate;  
Ergo nulla iracundia est Virtus;*

multiplicari & hic conclusiones poterunt, datis antea terminis, procedendi que modo repetitis; sed in modis, ut facile animadvertis, aliis. Quam ipsam rationem rursus expeditissima exempli dati ad primam figuram translatio facile tuebitur. Taceo, quod huic etiam multiplicationi, non parum faveat principium secundæ figuræ proprium, quod ex illo Metaphysicorum primo, *Impossibile est, idem simul esse & non esse,* conversionis, ut apparet, ope hunc in sensum natum est: *Quæcunque habent prædicata contradictoria, illa non sunt idem.* Dum enim dicit,

QVÆCUNQUE habent &c. nihil eorum, quæ talia prædicata habent, exceptum aut remotum cupit, sed plura extra conversionem admittit.

§. 15. Cum postremæ figuræ Syllogismi simili ferè modò comparatum est; quod manifestum vel unicum hoc exemplum faciet:

*Omnis artifex amat suum opus;*

*Omnis artifex est homo;*

*Ergo quidam homo amat suum opus.*

Pro homine enim in secundâ propositione adhibeatur aliud quodcunq; artificis prædicatum, v. g. *persona, mortalis, substantia, ingeniosus, sensu præditus*, & quæ sunt alia; & conclusiones multiplicari, quam primum de singulis conclusum distinctè fuerit, vel sensus ipse fatebitur: nec quicquã, in reliquis cur ita quoq; procedamus, obstat. Quam ipsam multiplicandi formam legitimam nec à præsentis alienam pronuntiabit rursus talium ad figuram primam facillimus transitus. Ex medio itaque fieri Corollaria & in his, eoque in singulis figuris posse, certum est.

§. 16. Omnem denique hunc multiplicandi modum egregiè confirmat Vis ἐνστάσεων sive Instantiarum; quæ à nemine est in dubium hactenus vocata, nec vocari à sana ratione unquam potest. Plura enim ex uno Syllogismo medii ejusdem inferre vi si non liceret, quomodo quæso ulla adferri ἐνστάσις in disputandi negotio posset? Non enim dari aliter hodiè instantiæ à quoquam solent, quam per hujus potestatis exercitium, hoc est, per subsumtionem sub eodem medio. Quamdiu ergò usitato modo ἐνστάσις adferre licet, tamdiu & sub eodem medio plura subsumere licebit, & viceversâ.

§. 17. Quanta nunc igitur uniuscujusque medii in quolibet Syllogismo vis est? quanta potentia? Quanta uniuscujusque centri est in quolibet rotundo. Nam uti centrum omne ante & retrò, sursum & deorsum, ad dextrum & sinistrum, imò quaque versum patet, aut parere intelligitur, suos radios dispergit: Sic & medium omne Syllogisticum ἐπέγειαν & virtutem suam in partes omnes diffundit. Eoque minus de quoquam eorum fallit, quod omni principio tribuit Aristoteles, de Soph. El. c. ult. §. 6. *Quò minore est magnitudine, eò potentiore est facultate.*

APHO-

## APHORISMUS V.

Multiplicari Conclusiones ex uno possunt III.  
per illorum omnium, quæ sub Conclusionem con-  
tinentur, subsumtionem.

Ἐκθεσις.

§. 1.

Verba, quibus modum hunc approbavit Aristoteles, §. 3. c. c. hæc sunt:  
*Quæcumque sub conclusione sunt, eorum omnium erit idem Syllogismus;*  
si hæc in conclusione ponantur: Ὅτι ὑπὸ τὸ συμπέρασμα τῶν ἀπάντων  
ἔσται ὁ αὐτὸς συλλογισμὸς, εἰὰ τὰ (ὄντα ὑπὸ τὸ συμπέρασμα) ἐν τῷ  
συμπέρασματι τῆς ἡ. E quibus verbis nata B. Höpfneri regula vide-  
tur, quæ p. 388. rem illam ita nobis explicat: *Sub minore termino fit sub-*  
*sumtio, quando particularius sub minore termino generaliore contentum*  
*colligitur ex conclusione principalis Syllogismi universalis.*

§. 2. Peculiare ei quoque nomen cit. loc. Lovanienses tribuunt.

*Quartus* (quem nos tertium numeramus) *modus est, inquit, quando*  
*fit subsumtio sub subjecto conclusionis, hoc est, sub ipso minore extremo,*  
*Syllogismi in conclusione accepto universaliter, quæ quidem solet vocari*  
*Subsumptio in postsumendo, eò quod minor extremitas posterioris Syl-*  
*logismi habet rationem inferioris, comparatione minoris extremitatis,*  
*quæ erat in primo.* Nimirum, ut præcedenti usus artificio, quæ mino-  
ri quasi sunt à latere, ita hoc usus ea, quæ infra minorem sunt,  
usurpanda sibi & eligenda esse sentit.

§. 3. Unde aliqua statim sese aperit hunc inter & præcedentem modum  
differentia. Clarius eandem exponit nobis B. Reckl. l. c. p. 195. *In hoc* (de  
præsentis nostro loquitur) *ex toto principali Syllogismo, & quidem ex con-*  
*clusionem per Syllogismum principalem jam probatâ, nova colligitur con-*  
*clusio; In isto vero* [præcedentem intellige] *non colligitur per conclusio-*  
*nem antea demonstratam, nec per totum principalem Syllogismum; quia*  
*sumitur tantum major illius propositio, reliquis sepositis; Sed tamen ni-*  
*hilominus ex ipso concludi dicitur, quia ex eodem medio termino, qui in*  
*principali Syllogismo fuit, conficitur.* Plura discriminis vestigia in se-  
quentibus invenies.

§. 4. Causam hujus multiplicationis licitæ de Omnî, & de Nul-  
lo Dīcta, ex Aristotele ante definita, ac regulis immotis enunciata cui-



vis facile aperient. Horum enim vis in iis, quorum usu nunc porismatum est producenda copia, non minus sese exerit, quam in illis, per quæ id agebatur antea. Unde sine dubio quoque fit, ut hæc viâ nihil concludatur, quod non perfectam evidentemque consequentiam sic possideat, ut in primæ figuræ Syllogismum integrum resolvi immediate queat. B. Höpfnerus p. 388. pro ratione huius modi hanc, nec malè, dedit regulam: *Quodcumque συνολύτως inest subjecto, etiam subjecti subjecto inest.*

§. 5. Neque parum inde lucis atque virium idem capit, quod conclusiones rectè semel demonstratæ pro legitimis demonstrandi principis habeantur in qualibet scientiâ. Quæ de re eleganter Viott. l. 3. de Dem. c. 8. 158: *Dicebam, inquit, postulata universalis & Conclusiones demonstratas principia aptissima & receptissima esse ad demonstrandum. Quid dicis, proba? Visne me probare solem lucidum esse? aperi tu oculos, & contemplare, discurre Mathematicarum Demonstrationes, videbis, eas postulatis inniti, & posteriores prioribus.* Ac Philosophus ipse Demonstrationem esse docet, non solum quando ex veris atque primis Syllogismus constat; Verum etiam quando ex ejusmodi, quæ à quibusdam veris & primis suæ cognitionis principium sumserunt. I. Top. l. 4. Quæ frustra dicerentur utique, si ulla formæ lex nostram hanc sub probatâ conclusione plura subsumendi & inferendi rationem improbaret.

§. 6. Rem experiri denique in exemplo, si placet, repetatur modo conclusio, §. 10. Ex §. Aph. IV. per Syllogismum à nobis jam ostensa, quæ hæc erat:

*Poeta omnis amat suum opus.*

Cui si subsumtionis ope, quæ sub poeta vel ut species, (cujus ordinis Epicus, Lyricus, Tragicus, &c.) vel ut individua (qualia Homerus, Pindarus, Sophocles, Virgilius, Horatius, Seneca, & alii innumeri) continentur, junxeris, vel ipsis tuis oculis deprehendes, ex unius primi Syllogismi Conclusionem porismatum non minorem effundi copiam, quam frugum ex agro fertili: idque evidenti admodum perfectaque Consequentiâ, quam integrè hæc forma exhibet:

*Poeta omnis amat suum opus;*

*Epicus omnis est Poeta;*

*Ergo Epicus omnis amat suum opus.*

nec aliud faciendum cum cæteris. Particularibus verò subsumtionibus & conclusionibus qui delectatur, illi utilem eâ in re navabunt operam.  
hi ter-

hi termini: *Homo, Germanus, Eruditus, Græcus, Gallus, Juvenis*, cum  
mille aliis; eritque forma rursus integra:

*Poeta omnis amat suum opus,  
Homo quidam est Poeta;  
Ergo homo quidam amat suum opus.*

idem iudicium esto de reliquis.

§. 7. In oppositæ verò qualitatis modo eandem explorare facultatem si lubet, proderit non minus Conclusio illata jam à nobis supra, *Poeta nullus opus suum odit*, quàm termini in eum quoque usum §. præced. modò à nobis dati omnes. Imò Conclusionem, *Josephus mortuus fuit in Aegypto*, cujus alio item loco facta fuit à nobis mentio, repetere si velimus, ne hic quidem plane nobis, quod subsumamus, deerit. Dicere enim, *Primogenitus Rachelis*, vel *Benjamini uterinus*, vel, *Consiliarius intimus Pharaonis*, vel *Potiphæ gener*, vel *Ephraimi Pater est Josephus*, distincteque postmodum concludere, quid magno opere prohibeat, non video.

§. 8. Rursus, adhibeamus universale, geminâ jam ante ratione ostensum in figura media, *Iracundia nulla Virtus est*; nec obstabit quicquam, quo minus *Excandescencia, Acerbitas, Sevitia, in Achille, in Alexandro*; quædam item qualitas, quidam habitus, & alia, sub iracundia contenta subsumantur, istaque ratione & hujus primæ conclusionis porismata multiplicentur.

§. 9. Hinc vel nemine monente intelligitur, non nisi ex Syllogismis universalibus, hoc est, universalem conclusionem inferentibus, idque vel in figurarum prima vel secunda, hunc institui multiplicandi modum posse. *In particularibus autem* (particularem conclusionem colligentibus) *Syllogismus* [verba sunt Aristotelis §. 7.) *eorum, quæ sub conclusione sunt, concludendorum non erit ulla necessitas; quoniam non fit Syllogismus, cum hæc propositio* (major, ejus quippe locum conclusio occupare debet) *accipitur in parte*. Utrique enim dicto è diametro id repugnat. De Universalis aliàs in quolibet Syllogismo necessitate agit Aristoteles I. Prior. XXIV.

§. 10. Utut vero EX particulari Syllogismo inferre plura per subsumtionem sub conclusione minimè licet, propter ipsam illam conclusionis particularitatem; PER particularem tamen Syllogismum, inferri ex uno Universali plura, nihil absurdi est aut impossibilis. Ex his jam quid de præclaro Conclusionum & porismatum incremento, quod è subsumtionis sub conclusione promanat fonte, habendum sit, obscurum, spero, erit nemini.

APH O-

## APHORISMUS VI.

Augeri, Conclusionum numerus potest IV.  
per eorum, quæ ex Conclusionis prædicato per  
se & necessario sequuntur, illationem.

Ἐκθεσις.

§. I.

Huius eadem modi non meminit (fortè propter istius praxin facil-  
limam & cuius obviam) eo loco Aristoteles, nec aliquis eorū, quos  
evolere mihi licuit, interpretum, Cum autem parem ille necessitatem  
ac certitudinem habeat cum cæteris, errariqve in eo facile possit, præ-  
fertim si consequentiæ illatæ cum innatis confundantur, negligendus  
hoc loco nobis plane non videbatur.

§. 2. Distinctum verò eum esse à præcedenti, sic ostenditur:  
Ille (1) probatam conclusionem *Majoris* ponit loco; hic non nisi  
*minoris*; Ille (2) *subiecti antecedentia* seu inferiora eligit subsumitqve;  
hic *prædicati consequentia*, eaqve necessaria & universalis, seu prædica-  
to necessario connexa; Ille (3) ex primæ conclusionis *subiecto* sibi facit  
concludendi medium; hic ex ejusdem conclusionis *prædicato*.

§. 3. Pro fundamento eidem dare e statum possumus Aristotelis:  
Τὰ ἐξ ἀνάγκης συμβαινόντα, τῆς αὐτῆς εἶναι θέσεως δοκεῖ; quæ ex ne-  
cessitate consequuntur, ipsius thesibus partes videntur; De Soph. Elench.  
C. XVII. 14. Ipsius jam thesibus partes quæ sunt, eodem utiqve confir-  
mabuntur Syllogismo, quo thesibus confirmatur ipsa. Et absurdo dato  
uno, alia si sequuntur cogente nemine, quidni uno vero firmiter con-  
cluso & ostenso, concludi plura posse fateremur?

§. 4. Quod si te bis quinque, aut bis septem dicente (elegan-  
tissima hanc in rem Gregorii Nazianzeni verba sunt.) Decem aut qua-  
tuordecim ex tuis verbis, aut ex eo, quod animal ratione præditum  
& mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare?  
Nequaquam profecto, cum tua dicerem. Neque enim verba magis sunt  
ejus, qui loquitur, quam illius, qui loquendi necessitatem simul affert.  
Quemadmodum igitur hic non ea magis, quæ dicuntur, quam quæ intel-  
liguntur, expenderem; eodem modo nec si quid aliud eorum, quæ vel  
nullo modo, vel certe non satis aperte dicantur, ex Scriptura tamen in-  
telligi, colligiq, reperirem, tam te nominum Sycophantam pertimesce-  
rem, ut à pronuntiatione ipsa refugerem. Quæ verba ubi D. Joh. Mu-  
seus

laus loco ab init. cit. §. 87. p. m. 555. ex Tannero adduxisset, hæc;  
quibus nihil verius aut instituto nostro accommodatius est, sub-  
jungit: *Quibus exemplis ex natura petitis, & quotidiano usu tritis, o-*  
*stendit, quod, quæ ex alicujus dictis aut scriptis per necessariam conse-*  
*quentiam deducuntur, perinde habenda sint, ac si expressè & formaliter*  
*ab ipso dicta aut scripta essent.*

§. 5. De cætero compendium, quo in expressiorem formam,  
Syllogisticam sic multiplicata rediguntur, tritius faciliusq; est, quam  
ut pluribus declarari exemplis postulet. Sumatur tamen nobis, quam  
per medium, *Spiritus*, inferre nullius difficultatis res est, *Conclusio*,  
*Anima humana est substantia immobilis*; E cujus prædicati parte in  
Peripateticorum etiam scholâ rectè colliguntur ista: *Ergo interire*  
*anima humana non potest*; *Ergo non potest mori*. Nam *mors*, dissen-  
tiente nemine, est species *interitus*; *interitus* verò species *motus* est.  
Sublato autem genere, speciem quoque tolli est necesse. Externa in-  
de pleniorque forma hæc prodibit:

*Quicquid est substantia immobilis, illud interire non potest*;

*Anima humana est substantia immobilis*;

*Ergo anima humana interire non potest*;

Eodemque tramite pergendum porro est ad reliquum; nam pro Con-  
clusionum numero, & numerum, PER quos concluditur, Syllogismo-  
rum crescere supra diximus.

§. 6. Rursus enunciationem intueamur revelatam, divinisq; ora-  
culis comprehensam; nam revelata cum demonstratis patè, imò longè  
majorem vim habent propter suam infallibile prorsus principium,  
quod DEUS ipse revelans est. Liceat igitur nobis, in cathedra utut  
Philosophica constitutis, ex Mich. VI. 8. exemplum hoc in usum no-  
strum vertere. *Quid sit bonum, & quid Dominus à te requirat, tibi,*  
*ô homo, indicatum est.* Ex quo, potestate hæc præeunte viam, & il-  
la justâ ratione inferentur Porismata: *Ergo quid sit bonum, homo novit,*  
*nosse cerè potuit*; *Ergo non prætexere ignorantiam ejus potest*; *Ergo*  
*nec ignorantia aliqua suam excusare aut delere culpam potest*; Summa  
est, ut cum Paulino verbo quin & conclusione concludendi finem,  
faciamus, *ἀναπαλόγητος*. Quæ illata singula similem planè formam  
cum prioribus multo, quam cera flexibilis forte suam, induent facilius.  
Cur igitur hanc porismata multiplicandi rationem improbandam exi-  
stimaremus, æqua nobis non visa fuit causa.

D  
Apho-

## APHORISMUS VII.

Ufus Facultatis, quæ ex uno Syllogismo concludere plura docet, ut præsentissimus, sic & amplissimus est.

Ἐκθεσις.

§. 1. Quo prolixiores fuimus hactenus in modis specialibus, quibus exercetur hæc potestas, asserendis, hoc breviores erimus jam in ejus usu recensendo. *Ufus hujus Potestatis Syllogismorum*, inquit B. Reckleben R. O. A. p. 196., est quadruplex: I. ut si non sit in promptu medium ad conclusionem aliquam probandam, sciamus probatâ conversâ & convertentem esse probatam, & contra. II. Ut conclusione aliqua probatâ statim appareat, quæ etiam aliæ conclusiones deduci inde possint (hunc potissimum usum esse B. Höpfnerus rectè censuit p. 400.) adeoque quando nobis cum adversariis est negotium, non putemus eas tantùm conclusiones esse refutandas, quæ nobis directè adversantur, sed & illas, quæ vel è conclusione, vel ex propositionibus concessi prius Syllogismi legitimè inferri & nobis objici possunt; aliàs ad propriæ sententiæ negationem aut ad absurdum aliquod adigemur. III. Ut sciamus quæ conclusiones eodem medio probari possint.

§. 2. Usus quartum (qui à citato autore, nisi ex jam enumeratis aliquem dividere velis, est omissus) supplere facile ex B. Höpfnero poterimus, qui p. 401: *Hæc doctrina*, inquit, *facit ad analysin argumentosarum Orationum*, monetque, ut non hereamus in resolutione orationum, in quibus per media non continua probatur conclusio. Quem ipsum usum Jacobus Mart. p. 491. & suo calculo approbavit.

§. 3. Cæterum non proletaria est doctrina, quam de *Scientiæ* aliqujus incremento, & quomodo è Demonstrationum cum in directum, tum in transversum, citra tamen τῆς εἰς ἀλλογίαν & μεταβάσεως crimen, multiplicatione id contingat, Aristoteles I. Post. XII. 14, 15. tradit: de quo artificio vid. Piccart. p. 603. & Pac. Com. p. 308. Ultramque verò augendi rationem paulò penitius qui inspexerit, is expectatur. Scientiis vel disciplinis Philosophicis hujus maxime potestatis opera præclarum istud augmentum obtingere.

§. 4. Neque peccaturos nos confidimus, si, quòd Fidei quoque in sancto religionis aternæque salutis negotio utilitatem non parvam illa præstet, hoc loco referamus. Dicit enim non potest, quantum ejus interfit, hanc plura concludendi vim inviolatam servari apud omnes.

Fidei

Fidei inquam, cum *QVA* creditur, tum *QVA* creditur. Prioris enim articulos non paucos eosque gravissimos, hujus potentiae Syllogisticae ministerio, ex sancto Dei verbo Orthodoxa Theologia, ut in confesso est, deduxit, deductosque tuetur etiamnum contra quosvis & confirmat solidè. Divinarum deinde promissionum ac beneficiorum universalium individualis applicatio, quæ non postremus salvificæ Fidei, quam secundo loco nominabamus, actus est, ut S. Theologia docet, & unusquisque bonâ fide Christianus confitetur, subsumptione citra dubium peragitur. Sic enim illa intelligitur argumentari:

*Deus non vult ullum hominem perire;*

*Ego N. sum homo;*

*Ergo nec me Deus vult perire.*

rursus: *Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus;*

*Ego N. sum homo;*

*Ergo & mihi gratia DEI salutifera apparuit.*

Confer. B. Höpfneri Disp. VI. de Justif. H. P. C. D. Aph. II. Pont. §. 20. seq. & aph. III. §. 6. Neque sine alio à Scriptoribus sacris, vel divinorum mandatorum, vel promissionum, vel comminationum, aut aliarum etiam locutionum genuina universalitas tantopere (exempla Ebr. II, 8. I. Cor. XV. 25. seqq. Rom. II. 35, 38, 39. & alibi magno numero occurrunt) iurgetur, quâ ut justæ subsumptioni citra impedimentum ubique locus sit.

§. 5. Hinc intelligitur, quàm miseram imo nullam eorum oporteat esse fidem, qui per particulares, quas de divinis beneficiis fovent, hypotheses, subsumptioni omnem prorsus viam præcludunt. Nam ex majori propositione particulari (seu revelata illa sit, seu demonstrata ad præsens nihil interest) vel ipso Aristotele iudice, nihil, ut visum antea, sequitur. aut sub particulari propositione facta subsumtio si valet, æque certè sub affirmante parte, quam sub oppositâ negante, & vice versâ, valebit semper, eaque viâ ad desperationem, quàm ad spei aut fidei firmitudinem ullam, citius hominem adiget.

§. 6. Neque carere hujus potestatis usu sacrum studium Homileticum posse affirmabit, qui vel Concionis Sacræ textum & usus non aliter meminerit differre, quàm in scholis logicis præmissæ differunt, & Conclusio; quæ de re exemplum testabitur in aph. præced. E. 9. §. 6. adductum. Neque Scriptores Polemici utilitatem ejus ac necessitatem inficiari possunt. Quàm facilis, quamque expeditus usus ejus olim B. D. Johanni Affelmanno fuerit, vel unico hoc liceat ostendere exemplo, Habetur

D 2

illud

illud in Disp. de Prædest. §. 78. (Part. I. Synt. D. 18. p. 519.) Ubi sic  
vir beatus: *Disquirere placet: An Calviniani, Lampadius, Piscator*  
*cum lociis, ad vitam æternam electi sint? Ex hypothesi eorum nego, argu-*  
*mento duplici. I. Si ob id fides non ingreditur electionis decretum,*  
*quia Electio ab æterno, fides autem in tempore, ob eandem causam nec*  
*Calviniani ingredientur, quia Electio ab æterno, ipsi autem in tempore.*  
*At prius ajunt Lampadius, Piscator, Martyr, Maternus, &c. Ergo.*  
*II. De Electis intelligunt Matt. 15. v. 24. Non sum missus nisi ad oves*  
*perditas Domus Israel; Ergo inquam, Nullus Calvinianorum est ele-*  
*ctus: quia non sunt Israélite, eos tantum excipe, qui à Judæis originem*  
*duxerunt &c. Quis enim non animadvertit, quod ita colligere, nihil a-*  
*liud sit, quàm per subsumtionem eodem sub medio plura concludere?*  
*Gemella occurrunt ibid. p. 435, 550. & alibi. Quod igitur ἀρχινοια*  
*quoq; illa, de qua Aristot. I. Poster. ult. hâc facultate excitetur & auge-*  
*atur, dubitare non licet.*

§. 7. In quocunqve deniq; literarum genere universalia particu-  
laribus applicanda sunt, vel ad Praxin etiam Theoria transferenda, ibi  
hâc facultate opus erit ideò, quod talis applicatio distinctè, plenè, &  
tutò satis sine legitima subsumtione institui non posse videat-  
ur, Quo igitur sanæ rationis mortalibus summo DEI beneficio  
concessæ usus extenditur, eò & ex uno plura  
concludendi potestatis.

## SOLI DEO GLORIA.

*Ad Eximium*

DN. RESPONDENTEM  
Magisterii Candidatum, Amicum per dilectum,

**V**im Concludendi calamis evellere nostris  
Per varias technas Archisophista studet.  
Non ita Aristoteles, tutam is præstare laborat:  
Quod tua nos, LAUTZI, lemmata ritè docent.

P R Æ S E S.  
pul-

**P**ulpita dum scandis Cathedræ, Doctis-  
 sine Lautzi,  
 Ingenii vires non sine laude probas.  
 Quilibet advertit, Sophiæ penetrali-  
 bus almæ  
 Te certè omnigenis incubuisse modis.  
 Hinc quoque non dubitant omnes applaudere  
 mecum,  
 Qui Tibi, quæ studiis corde faventque Tuis.

P.  
 ANTON CHRISTIAN FABRICIUS.

Gleich wie ein reife Traub an ihren edlen Neben  
 Nicht eh den süßen Saft kan fließend von sich geben  
 Sie sey den vorhin erst gekeltert und geprest:  
 Und wie ein hartes Stahl kein Feuer von Sich läst  
 Es werde denn zuvor mit einem Stein gestrichen;  
 So ist der Mensch selbst / der diesem wird verglichen/  
 Der selbe gibt von sich nicht eh' ein Tugend-Schein  
 Er habe denn zuvor durch stetigs Fleißig seyn  
 Und unersparte Müß der Tugend nach gejaget  
 Welch Ihn als eine Traub gekeltert und geplaget:  
 Denn es geht schwerlich ein den Tugend weg zu gehn  
 AUFF daß man rühmlich kan bey den Gelehrten stehn.  
 Dis' hat mein werther Freund / Herr LAUTZ auch woll empfunden  
 In dem Er alle Zeit biß noch auff diese Stunden  
 Sich höchst beflissen hat / und das mit grossen Ruhm  
 Daß Er einst bleiben möcht der Tugend-Eigenthum /  
 Wie selbst die That beweist / den Er Sich icht läst hören  
 Da für ein jederman ihn billig muß beehren:  
 Ich ruffe LAUT mit zu: Herr LAUTZ / für deinem Fleiß  
 Muß dir die Ewigkeit auch geben Ruhm und Preis!  
 Mit diesem wenigen wolte seinem grossen Freunde bedienen

AZARDUS HONOKEN, Jeverâ Frisus SS. Th. Stud.

D 3.

Nunc



**N**unc ULRICE tuam, quæ stringit viscera largis  
Lætitiis, laudem Phœbus ab axe vehit.  
Ipsa inhat pietas hodie dum laude cathedram  
Scandis, quo celebrem mente manūque diem.  
Te Deus altitonans adspiret Flamine sancto,  
Conatusque bonos dirigat ipse tuos.

Exiguam hocce intimo suo scribebat

ANTON GÜNTHER FASELIUS,

*Feverâ Frisius*

---

**BELLE. ET. PRÆCLARE.**

MERENTUR. ACCLAMARI. QVEIS. PARTA. LAUS. EST.

INDELEBILIS.

NEC. LIVOR.

LAUDIS. CONSCIENTIAM.

ACERBUS.

ERIPLET. UNQVAM.

\* \*

\*

**P**Rodit in scenam juvenis vir auso,

Et refert doctas simul ore voces:

Nectimens ullum, quia rara perquam

Fercula præbet.

Firmus HIC murus, metuens non Austrum,

Nec minis hâc sede suâ movetur:

Sed manet constans, Boreæque nulla

Flamina vitat.

Perge sic faustis avibus, COLENDE,

Scande, contendens, cathedram libenter:

Sic erit LAUTZI, quoque laude summa

Victor abibis.

Ut Omnigena Eruditione florentissimo Domino

Respondenti popularitatis debitum exsolvetur,  
ret, præposita huc transferri curavit.

HILLARDUS Hølen / Goëdensis

Freefo Orient. LL. Studiosus.

Dum

Dum monstrare studes avidè, Carissime LAUTZI

Quo pacto possis *concludere pluribus*, inde  
Ex Doctis dubitat de Te *concludere* nullus:  
Otia Te vitæ non desidia secutum  
Hactenus, at potius noctesqve diesqve labori  
Intentum meritò dulces voluisse mereri,  
Quos per amantem Apollo suis decernit, honores.  
Applausisse cohors Musarum tota videtur:  
Cui me conjungens Tibi pectore gratulor omni  
Ausu de tanto, tandem *concludoq;* paucis:  
Cum placeat sacris simul invigilare Camænis,  
Haud leve Te certè Patriæ decus esse futurum,

Applaud.

D. GRAMBERG. Frisus. Orient.

Flagitat officium, *mi Lautzi*, tradere versus,  
In quantum præsens, hæc mea Musa finit.  
Non adeo longum svadent mea dicta tenorem,  
Cum nunquam dici *Laus* tua clara potest.  
Ast non prætereo nostris, quæ nota camænic  
Invigilas studiis acer ubiqve bonis.  
Quid *Logicam* memorem, concludendiqve *Magistram*?  
Extollit quæ te laudibus omnigenis.  
Quid *Physicam* vocitem? Quid tandem *pagina sancta*?  
*Ethica* quid clamat, quid quoqve *Pneumatica*?  
Prætereo multas artes, sudore paratas,  
Adjicio saltem: *GRATULOR INDE TIBI.*  
*TE TE* conservet Magnus Dominator in arce  
Coeli, *MILAUTZI: Tu patriæ Vigeeas!*

Sic

Honoratissimo suo conterraneo ac amico ex  
animo gratulatur

CONRAD LÜBBEN  
LL.Stud. Jever. Frisus.

**B** Zittel schließ ich auch anzt / das er hätte nie genossen /  
Wenn er nicht gewesen wer stetig fleißig unverdrossen /

Sol=

Solche Früchte seiner müh: Denn er weiß nun zu erkennen /  
Wie und wie viel mahl man kann / einen Schluß verständig nennen.  
Fährt er nun so weiter fort / wird man mehr denn schlüssen müssen  
Daß Herr LAUTZ mit ehren sey ein gelehrter Mann zu Grüßen.

Welches von Herzen wünschet  
Dietrich Erich Meyen /  
von Jever aus Friesland.

---

PRæruptis veluti dulces ex rupibus undæ  
Liqvuntur, varios qværent per gramina rivos  
Florida, paulatim per maxima flumina currunt,  
Donec cœruleis jungantur fluctibus aptè.  
Sic tua nos virtus LAUTZI CONCLUDERE PLURA  
Ostendit liquidò multis conamine primo:  
Ex quo promanant passim præclara reperta  
Ingenii magni, spondentis magna parenti  
Et patriæ Nostræ. Sancti TU gloria templi.

*Amico suo integerrimo applaudere sic voluit.*

H. V. HORN. OLDENBURGENSIS.


---

CUM gratetur, AMICE, Tibi jam quisquis AMICUS,  
En! de conatu grator egoque Tibi.  
Adjicio tantum: cum totus & insuper esse  
Theiologus studeas, patriæ AMICUS eris.

Quæ paucula per-Eximio Domino Respondenti;  
Amico suo fidissimo, debitæ observantiæ  
& singularis amoris ergò gratulabundus ac-  
celerabat.

JOHANN-BERNHARD von GLAN.

Jeverâ Frisus LL. Studiosus.



ULB Halle  
006 682 26X

3



1077







1676, 11

V.  
NCLU-

LURA,  
l. Prior. Cap. I.

Philosophicæ in Acade-

si,  
I D E

EXCELLENTISSIMO  
GUNTHERO

giæ Licentiato, Organi  
Majoris Principum Col-

to,  
ore & hucusqve

ita omni pietatis ac ob-  
n prosequendo,  
publicæ

US Laug / Jeverâ Fri-

tal.  
neol, Studiosus,

NUARII, ANNO  
XXVI.

C.

Æ,  
RI UHMANNI.

76

